

§. 2. Ut itaque huic pernicioso malo occurratur, annuente etiam sua Majestate conclusum est; ut Domini Capitanei et Officiales Confiniorum, tales fugitivos subditos, nullo unquam tempore ad Confinia recipiant, multo autem minus confiniarii eos vi, vel clam abducant: Imo receptos, abductos, aut quoquo modo ingressos, ad requisitionem Dominorum Terrestrium debito modo fiendam, sub poena florenorum quingentorum ex parte non restituentium, prouti et alia ex parte, vi, aut aliter qualitercunque abducentium, florenorum Ungaricalium centum, singillatim incurrenda, et de bonis et salariis eorundem desumenda; in una parte Judici Executori, scilicet Generali Confiniorum, aut ejus vices gerenti; in alia vero, damnificato cedente, una cum familia et rebus etiam medio tempore acquisitis, universis, eo facto restituant. *)

Ut Arx Sziszek, Capitulo Ecclesiae Zagrabiensis in pristinum Statum restituatur.

Articulus 68.

In causa restitutionis in pristinum statum Arcis Sziszek, Ecclesiae et Capitulo Zagrabiensi fiendae; quod sua Majestas Sacratissima benignum suum affectum erga hoc in passu facientis instantiam, proxime et quidem abunde demonstratura sit; acquiescunt Regnicolae: Salva semper Jurisdictione Regni permanente.

Articulus 101. Anni 1659. de pulsione Boum ad portum Buccari; et Art. 119.

An. 1647. occasione Decimarum Districtus Metlike; renovantur.

Articulus 69.

De pulsione Boum per Regnum Croatiae et Sclavoniae, absque ullo cujuslibet impedimento libera fienda; **) Articulus 101. An. 1659. et alii in eodem citati: Prouti et Articulus 119. Anni 1647. occasione Decimarum districtus Metlike, Capitulo Zagrabiensi cedentium; hoc loci renovantur et observandi discernuntur. ***)

Articuli quoque 97. de Collatione Officiorum Confiniariorum et 100. de incorporatione Regno, et restitutione Colonorum Caproncensium Anni 1659. cum caeteris in iisdem specificatis, confirmantur et declarantur.

Articulus 70.

Ut Articulus 97. Anni 1659. de Collationibus Officiorum Confiniariorum; nec non etiam Articulus 100. de incorporatione Regno et restitutione Colonorum

*) Declaratur et ampliatur; An. 1715. a. 101.

**) Confirmatur; An. 1741. a. 55.

***) Renovatur; An. 1741. a. 53.